Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26093
Copyright: Admont, Benediktinerstift

in spolitino territorio cenosis fluentibus inutiliter occupata
largitas nostra concessit ubi aquarum uasta profunditas terrenam
gratiam in nullos usus perfusos absorbuerat. Iacebat tellus
naufraga palustri corpore confusa. et subiunctae iactata
dispendio. nec aquarum puros liquores meruerat et decorem
terrenae soliditatis amitteret. Hoc nos quibus cordi est ime-
lius cuncta mutare supra memoratis tali condicione concessimus.
ut si eorum opera et labore turpis desiccaretur illuui-
es. ipsi liberata rura perficerent. Sed quantum actorum spei loqui-
tur ingesta peticio domicii uiri spectabilis inicio sui i-
memor iussionis tenacitate parcit expensis. ad initium
reuocatus est labor operantium cum iam in soli faciem paula-
tim mollicies siccata duresceret celataque longa uora-
citate tellurem sol infusus afflaret. Quod nos nequaquam
negligi posse patiemur. ut bene cepta inuida destru-
antur ignauia. Proinde deuotio tua prefatum domicium
moderata executione conueniat. ut aut cepte rei se-
dulus operator immineat. aut si hoc sibi superfluum esse
crediderit. propriam cedat supplicantibus portionem. Opor-
tet enim ut si ipse postulata nequid efficere. consortem
beneficii. quamuis nostri temporis permittat implere. XXII.

Festo uiro illustri patricio. Theodericus Rex.

Equum est ut se commendet pietas regalis. fati uulne-
re sauciatis. quia erigi plus merentur quos fortis
sue aduersa prostrauerunt. atque ideo magnificentie tue presenti
auctoritate declaramus. ut Herdicii filios quos in ur-
be permisimus residere censuimus ad patriam cum genitoris
sui funere. uotiuo quidem reditu. sed acerbo casu remeare
iubeatis. ne eorum desideriis abnegantibus uulnus geminetur afflic-
tis. et quod nefas dictu est. qui dolorum nubila nostra semper se-
renitate detergimus. nec miseris pias lacrimas denegare
uideamur. Insaciabilis quippe fletus est qui humandis